Quelle: https://manuscripta.at/?ID=772
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Auarus monachus post opus moderatum orationibus et lectionibus
uacat. Nichil possidens monachus thesaurizat in celo. et dabitur lau-
dem cum angelis dei. Gloria monachi paciencia in tribulationibus
est. gloria monachi longanimitas cum caritate. Gloria monachi
nullas res presentis uite possidere. gloria monachi mansuetudo
et cordis silentium. Gloria monachi quando dominum ex toto corde
dilexerit. et proximum suum tamquam se ipsum. Gloria monachi ab
stinentia escarum. et fugiens multiloquium lingue. Gloria mo
nachi quando proximum suum sic se ipsum patitur. Gloria monachi
quando uerba eius operibus consonant. Gloria monachi quando in loco
suo permanet. et huc illuc non uagatur. Gloria monachi lon
ganimitas. Sicut lampada in loco tenebroso. et sicut sol radians.
sic monachus mente sobria. et corde peruigili in tempore salutis
sue. Sicut pondus salis deprimit uirum infirmum. sic somnus
monachum. Sicut spine et tribuli in agro optimo. sic et cogitati
ones turpes in corde monachi. Sicut tinea exterminat uestimen
tum. sic detractiones animam monachi. Noli te dare ad conlo
quium mulierum. ne fias separatus a regno dei. et ne uelis dicere
loquar cum muliere. et mundus sum monachus. Sapiens suis ma
nibus operatur. et uictum sibi cotidianum adquirit. et lucratus est oraci
ones et ieiunia sua. Si autem ab alio acceperit uictum. quid perdet
quod orat et uigilat. Sicut mercennarius malus sic nudus euadit.
quia scriptum est. melius dare. quam accipere. Qui legis. stude in
domino intelligere semper. Incipit regula sanctorum patrum. Se
rapionis. et Macharii. Pafnutii. et alterius Macharii.
Sedentibus nobis in unum. Macharii …
consilio saluberrimo cum prece dominum rogauimus. ut nobis
tribueret. spiritum sanctum. qui nos instrueret qualiter fratrum